

$\pi n$   
1288





2K. 519. 19.

B. M. II

II n  
1288

# PROPOSITIO

## IMPERIALIS COLLEGII HISTORICI,

Quâ omnes Sinceri & Eruditi Ger-  
mani, quorum id talentum est, ad con-  
scribendos Patriæ annales, à primordio gentis, inter  
Collegas distribuendos, officiosè & amicè ro-  
gantur & invitantur.



JENÆ,  
Apud JOH. Bielcken / Bibliopol.  
Anno M DC LXXXVIII.

78



PROPOSITIO  
IMPERIALIS COLLEGI  
HISTORICI

Qua omnes sicuti & Erudici Ger-  
mani, quorum id est, ad con-  
scribendos Patrie annales, a primordio gentis, inter  
Collegas distinguendos, officios & amice ro-  
gamus & invitamus.



ANNO MDC LXXXVIII  
Apud Joh. Beckmann / Bibliopol.  
JENAE.



Ulti quidem Scriptores Germanorum res, in variis operibus sparsas, memoriae prodiderunt: plurimi Principum suorum, vel civitatum, historias particulares scripsere: nec deest compendiorum copia, ex quibus summa historiae nostrae conspici potest. Veruntamen cum pleraque ita comparata sint, ut, si antiquissima tempora spectes, multa fabulosa, aut incertis autoribus tradita sint admixta: multa etiam imperfecte, aut nimis concise, scripta, ut statum Reip. universum, motus animorum, initia, causas, atque circumstantias rerum praecipuarum, aliaque, ex his cognoscere minime possis; multa insuper documenta & MSta in archivis Principum & Monasteriorum, in Bibliothecis tam publicis, quam privatis, adhuc lateant, quibus Historia Germanica augeri & illustrari posset. Igitur superiori anno brevis quaedam *delineatio* Collegii Historici Germanici, seu *meditatio de conservanda & propaganda Historia Germanica* (quae etiam Ratisbonae, & alibi, de novo typis exscripta fuit,) in lucem prodiit, cujus scopus & summa fuit, primo, ut e variis particularibus rerum

)2(

Ger-

Germanicarum scriptoribus integrum & venustum quoddam Teutonicæ historiæ corpus conficeretur. Deinde, si quis particulares aliquas historias, documenta, diplomata, aliave MSta inedita, haberet, aut olim edita, nunc verò distracta, rursus edere, notisque illustrare velit, ut ad ea quoque edenda & illustranda incitaretur, quò historia *universalis* eò plenior & perfectior publicari possit. Cum igitur laudabili huic proposito multi Illustres & Clari Viri gratiosum amicumque applausum dederint, ita, ut de eo constituendo, certisque legibus circumscribendo, nunc serio cogitandum sit; ideo operæ pretium erit, mentem scopumque illius paulò accuratiùs exponere, quò illi, qui membra hujus Collegii esse voluerint, nomina sua profiteri, deinde de insigni aliquo Præside, ejusque Adjunctis eligendis, nec non legibus formandis, inter se amicè consultare possint. Cùm igitur, ut dictum, *primarius* hujus Collegii scopus sit, ut *universalis* quædam *Germaniæ historia* scribatur, ea verò tam diffusa, & per varios autores sparsa, ut uni soli, aut paucis quibusdam sociis, tantum onus imponi nequeat, ideò optimum factū videtur, in Societatem & Collegium quoddam coire, totumque opus, secundum annos, inter plures dividere, qui illud, communicatò inter se consiliò, & conjunctâ operâ, aggrediantur, atque certâ ratione & modò, prout inter illos convenerit, & quoad fieri poterit, uniformiter elaborent. Totum ergò negotium, tanquam materia deliberanda, paucis hisce articulis proponitur.

(I.) Ut annales Germaniæ, à primordio gentis, secundum seriem temporum, & annorum, quatenus res antiquæ ex Scriptoribus, aliisve documentis, fide dignis, haberi possunt, latinâ lingvâ, & tersò stylò historicò, bonâ fide conscribantur.

(II.) Ut

(II.) Ut semper respectus habeatur ad statum patriæ nostræ publicum & summa rerum gestarum capita, ut exinde cognoscatur, quomodo primis temporibus per Provincias & varias gentes natio nostra dispersa fuerit, quomodo à barbaris seculis sensim ad culturam venerit, quomodo Christiana Religio invec̄ta fuerit, quomodo Imperium Orbis Christiani primarium in se derivaverit. Ut etiam cognoscantur origines, incrementa & imminutiones familiarum & Ecclesiarum illustrium, civitatum, Legum, Academiarum, aliarumque magnarum mutationum causæ; & quomodo tandem ad præsentem Imperii statum perventum sit.

(III.) Ut labor inter Collegas, quantum fieri possit, æqualiter dividatur, ita, ut pro numero Collegarum, secundùm secula, vel Imperatores, quousque fieri poterit, elaboratio extendatur, & unicuique certum tempus assignetur, itaque connexio totius operis appareat, atque à posteris continuari possit.

(IV.) Divisò labore Collegæ inter se amicè conferent, quos libros unusquisque habeat, vel quæ documenta necessaria, seu idonea, alter alteri suppeditare queat. Et si quis aliquid præ alio peculiare habuerit, id alteri, ad cuius opus id spectat, fideliter & sine invidia communicabit, quod ille suo loco & tempore gratus prædicabit.

(V.) Confectum unius vel alterius opus Collegis communicabitur, ut benevola monita, si quæ habeant, Autori impertiantur, idque non aliter, nisi modestissimis verbis, sine censura, vel asperitate ulla fiat, ut in benè constitutis Collegiis moris, & quidem privatim, ac tali modò, ut gloria elimatioris operis ad solum Autorem, cuius nomen præfigetur, redundet, istud verò eò plenius & perfectius, in Patriæ gloriam, & totius Collegii honorem, prodeat.

deat. Quomodo autem id effectui dari possit, ne vel æmulationes inter Collegas oriantur, aut opus ipsum retardetur, de eo inter Collegas, qui huic Collegio nomen daturi sunt, communicatis amicè consiliis, agetur.

(VI.) Director etiam aliquis, sive Præses, eligendus erit, ut in delineatione nuper descriptus est, qui & iudicio polleat, nec laborem directionis, qui non levis erit, subterfugiat: de cuius officio & persona plenius agi poterit, postquam Collegæ de rebus agendis amicè & constanter consenserint. In summa: ut, quæ omnibus placuerunt, urgeat, defectibus obviam eat, opusque ad maturitatem & perfectionem suam pro viribus promoveat.

(VII.) Cum autem is per totum Imperium omnibus nec consulere, neque cum singulis commercium literarium habere possit, ideoque labor ejus partiendus, atque in circulis Imperii certi clarique Viri eligendi erunt, qui vice ejus, tanquam Adjuncti, fungantur, tandemque summam rei ad illum fideliter & onus referant.

(VIII.) De qualitatibus Collegarum etiam inter socios erit agendum, ut Viri sint iudicio & eruditione præstantes, & huic labori pares, de quo ex speciminibus jam editis, vel ad editionem paratis, universo Collegio constare debet: adhæc ut animo sint civili & moderato, moribus faciles, ab omne superbia, arrogantia & Philautia alieni, quod fraterna Collegarum monita æquo animo accipiant, & dextrè interpretentur, vicissimque monita sua modestis & civilibus verbis, sine acerbitate & jactantia dicant, scribant, mittant; qui denique Legibus, communi Collegii consensu constitutis & approbatis, decenter pareant.

(IX.) Si verò quis fuerit, qui neque Imperatoris cujusdam acta, neque annos certos pro supplendis annalibus elaborare velit, habeat autem quædam particularia de rebus

bus



bus gestis cujusdam Principis , vel alius cujusdam magni Viri, cujus acta historiam universalem ingrediuntur, seu selecta & utilia MSta alia , scopo nostro primariò commodè inservientia , adque augmentum & illustrationem historiae Germanicae multum facientia , eaque edere , seu communicare velit, id & ipsi liberum esto , etiam cum autoritate & titulo Collegii.

(X.) Neque inutile fuerit observationes historicas & philologicas, quæ Germanorum res & antiquam linguam illustrant, & subinde se Collegis offerunt, ad Præsidem mittere, qui, ubi eas approbaverit, in unum fasciculum colliget, seorsimque edi curabit.

(XI) Si verò alicui Collegium non placeat, illique grave videatur sententias Collegarum & monita sociorum audire vel admittere, illi liberum omninò erit, quas & quomodo, quâve lingvâ res Germanicas describere velit, modò patriæ decus & commune bonum ob oculos habeat, & membra Collegii in suis laboribus & bono proposito minime turbet; sicuti vicissim tali scriptori singulari nullum impedimentum Societas nostra inferet, sed potius volenti pro viribus succurret, ejusque labores, laude dignos, sincere commendabit.

(XII.) Collegio denique constituto Patronus etiam quærendus. Et si clementissima protectio Augustissimi ac Victoriosissimi Imperatoris nostri ( quod unice precamur & vovemus singuli, ) humillimè obtineri possit, IMPERIALE meritò vocabitur. Ad cujus felicissima tempora cum pervenerint Collegæ, omnes amplissimam materiam, quâ occupentur, habebunt, ut tot rerum gestarum miracula dignè satis describant, & ea, quæ S. Cæs. Maj. Historiographi, alique Excellentes Viri, per partes edunt, in Annales patrios plenè inferant.

Quo-

94  
12.04

Quocirca omnes & singuli Sinceri ac Eruditi Germani, cujuscunque conditionis & statûs fuerint, quibus tale Collegium Historicum, ut in antecedentibus descriptum est, non displicuerit, officiosè & amicè rogantur ac invitantur, ut ad illud rectè & constanter ordinandum, bonisque legibus instruendum, ope & consiliò concurrere velint, atque eum in finem nomina sua, subscriptâ hâc propositione, profiteantur, apud sequentes, citra dignitatis præjudicium ordine Nominum Alphabetico locatos:

*Cassellis*, apud D. Joannem Dolæum, Consil. & Archiatr. ibid.

*Lipsiæ*, apud Dn. Joachim. Fellersn / SS. Theol. Lic. & Prof. Poëseos ordin. Publ.

*Ulma Suevorum*, apud D. Jacob. Ottonem, J.C., Com. P. Cæs., Diversorumque Statuum Imperii Consiliar.

*Isenaci* apud D. Christian. Franciscum Paullini, Phys. ibid. ordin.

*Tubingæ*, apud D. Joh. Ulricum Pregitzerum, J.C., Consiliar. Württemberg., & in Illustri, quod ibidem est, Collegio Prof. Publ.

*Jenæ*, apud Dn. Joh. Andr. Schmidten / Logices & Metaph. Profess. ordin. Publ.

*Augustæ Vindelicorum*, apud D. Lucam Schröckium, Junio-rem, Phys. ibid. ordinar.

*Gothæ*, apud Dn. M. Wilhelm. Ernest. Tenzelium, Alumn. Ducal. ibid. Inspect.

*Norinbergæ*, apud D. Joh. Paul. Wurfbein / Phys. ibid. ordinar.

*Frankofurti ad Mœnum*, apud Johann. David. Zunnerum, Bibliopolam ibidem.

F I N I S.

WDM

ULB Halle  
003 349 020

3





Germanic  
dam Teut  
quis parti  
ta, aliave  
verò distr  
ad ea quo  
ria *univer*  
Cum igit  
Viri grati  
eo constit  
ferio cog  
scopumq  
membra  
teri, dei  
eligendis  
sultare po  
Collegii  
ria scriba  
sparsa, u  
onus imp  
Societate  
secundum  
nicatò in  
atque cer  
& quoad  
ergò neg  
articulis  
(I.)  
cundum  
antiquæ  
haberi p  
nâ fide



ustum quod-  
Deinde, si  
ta, diploma-  
edita, nunc  
are velit, ut  
r, quò histo-  
licari possit.  
stres & Clari  
nt, ita, ut de  
bendo, nunc  
rit, mentem  
quò illi, qui  
ina sua profi-  
ue Adjunctis  
se amicè con-  
*marius* hujus  
*ermanie histo-*  
arios autores  
ciis, tantum  
videtur, in  
tumque opus,  
lud, commu-  
aggrediantur,  
s convenerit,  
nt. Totum  
a, paucis hisce  
lio gentis, se-  
quatenus res  
, fide dignis,  
historicò, bo-  
(II.) Ut

